

322. II, 3-61 — Proposição do cardeal Morano no Concílio Tridentino. 1563, Abril, 13. — *Papel. 2 folhas. Bom estado.*

Quo in statu sit respublica christiana patres reverendissimi omnibus prespicuum est. Nullus enim ignorat quanta sit religionis perturbatio, quam neglecta, imo prorsus contempta sit omnis ecclesia disciplina, quae bella, quae seditiones, populorum fuerint, atque etiam nunc sint, quas clades a potentissimo, ac perpetuo nominis christiani hoste turca superioribus annis, terra, marique acceperimus, quam ingens denique periculum nobis ab ejus potentia, et tot disidijs nostris semper immineat.

Has ob causas, ut dixi, manifestas, Pius iiij Pontifex Maximus bono consilio atque optima voluntate concilium oecumenicum in hanc civitatem convocavit, ut si fieri posset Deo in primis opem ferentem remedium aliquid tot malis inveniretur. Nam cum propter indignationem Dei ea nobis proculdubio eveniant, si catholicae fidei et veteris inocentiae puri-

tas revocabitur placato Deo, et bella et seditiones cessabunt, et imminetia cervicibus facilius nostris repellentur congregatum esse igitur hoc concilium frequens, et celeberrimum, in quo sunt tot viri praestantissimi.

Adsunt summi oratoris, adsunt duo principes cardinales et nobilitate et omnibus virtutibus insignes. Adsunt summi oratores et Caesareae Majestatis et tot maximorum regum, liberarum civitatum, principumque, ac nationum. Adsunt etiam tot praesules egregia doctrina, spectatae vitae, probitate. Nec desunt eccellentissimi theologi, ac doctores praestantissimi omnes viri omni laude digni.

Congregato autem hoc concilio cum tam ea tractarentur, quae ad susceptum negotium pertinere videbantur, ecce in ipso cursu erepti sunt nobis duo praestantissimi vereque illustrissimi viri, cardinales Mantuanus, et Seripandus, quorum mortem non sine animi dolore magno ad memoriam revoco, nam etsi eos faelices beatosque futuros existimem (quia scriptum est, beati mortui etc.) doleo tamen et reipublicae causa, quae eorum opera ijs temporibus maxime indigebat, et mea, nam utrique eorum magna familiaritate et neccessitudine conjunctus eram. Accepto nuntio tam accerbo mortis illustrissimi Mantuani summus pontifex, cum sacro cardinalium caetu, me et virtute et caeteris omnibus rebus longe inferiorem illi suffecit. Adjecitque ad hanc legationem conciliarem reverendissimum cardinalem Navagerium virum multa eruditione ac prudentia preclarum. Vere dicam patres, quantum licuit, quantum potui hoc onus recusavi ejus gravitatem, et virum mearum imbecillitatem reformidans, sed quid hunc timorem vicit obedientiae neccessitas parendum fuit vicario Christi qui Petro et ejus successoribus, oves suas pascendas regendasque commendavit. Huc igitur jussus veni ad Caesareum quidem Majestatem profecturus (1 v.) sed mox Deo dante inde reversurus ut illustrissimis collegis ac dominis meis legatis, ea quae ad salutem populorum, ad ecclesiae splendorem, ad Christi gloriam illustrandam pertinent una vobis cum agam: ac ut caetera desint duo praecipue mecum affero, alterum optimam voluntatem summi pontificis certam et explicatam, qui nihil magis optat, nihil aequae curat, quam ut doctrina fidei ab heresibus repurgetur mores corrupti emendentur, abusus tollantur, commodis ac neccessitatibus provinciarum, quae olim maxima pietate floruerunt consulatur, pax denique et unio etiam cum adversarijs omnibus quantum fieri poterit, salva pietate, et Apostolicae Sedis dignitate constituatur. Alterum quod affero, et huic non dissimile propensam voluntatem nostram ad eam rem peragendam Deo adjuvante, quae Sanctitas Sua verbo percepit, in hoc enim omne ingenium meum, quam vis per exiguum, omnem operam, et industriam collocabo, quae res, quantum fruttum sint allaturae patres sapientissimi in manu vestra situm est: nam prudentia vestra doctrina vestra autoritate etiam vestra hoc concilium ad optatum bonumque finem perducere poterit. Quamobrem vos patres omni honore digni hortor et per Deum immortalem obtestor, ut remotis contentionibus atque discordijs, qua magnum orbi cristiano offendiculum prebent remotis quaestionibus, inutilibus, quae

non ad edificationem fidei sed potius ad subversionem, audientium et ad tempus frustra conterendum faciunt, ea serio ac sedulo agatis, quae maxime neccessaria sunt, illud diligenter attendentes, ne scientiae vento cum inter vos sint tot doctissimi viri ab humilitatis porta ejiciamini, in hoc enim negotio Dei multa opus esse prece maxima humilitate, quia Deus superbis resistit humilibus autem dat gratiam. Quod si humiles, unanimes atque concordēs fueritis duce Spiritu Sancto omnia bene et recte perficietis, fructum uberrimum ecclesia Dei ex tot periculis, longis itineribus, laboribus et impensis vestris percipiet et vos lumen quoddam magnum et clarissimum scientiae et doctrinae, accendetis atque in alto collocabitis ad quod non solum si qui nunc vivunt sed (2) etiam posteri cursum vitae suae dirigentes tutissimum salutis portum facillime tenebunt. Deus autem propter vos maxime laudabitur et glorificabitur et vos ejusdem laudis participes eritis in hac vita et post hanc vitam gloriam immortalem inarcesibilem percipietis.

(B. R.)